

Franz Albert Aepinus

**In Festo S. Michaelis, Angelos Sanctos, Ceu Dei Ad Homines Legatos, sacris  
Festoque huic congruis Civium Academicorum Meditationibus, tam theoreticis,  
quam practicis, Publico Hoc Programmate sistit**

Rostochii: Typis Johannis Jacobi Adleri, [1736?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004020007>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1736. Michael.

~~A-1256<sup>239</sup>~~

Mus. 1736

IN FESTO S. MICHAELIS,  
ANGELOS SANCTOS,  
CEU DEI AD HOMINES  
LEGATOS,

facris Festoque huic congruis  
CIVIUM ACADEMICORUM  
MEDITATIONIBUS,



*tam theoreticis, quam practicis,*  
PUBLICO HOC PROGRAMMATE  
sistit

ACADEMIÆ VARNIACÆ RECTOR,  
FRANC. ALBERTUS ÆPINUS,  
PHIL. & THEOL. D. HUIUSQVE PROF. DUCAL.  
PUBL. & CONSIL. CONSISTOR. FACULTATIS TH.  
HOD. DECANUS.

---

ROSTOCHII,  
Typis JOHANNIS JACOBI ADLERI, SERENISSIMI PRINCIPIS  
& ACAD. Typographi.

M. 1256 239



**Angolorum Festum universâ cum**  
 Ecclesiâ Christianâ iterum iterumque cele-  
 brantes, non immeritò nobis, ceu reor,  
 ipsum in memoriam revocamus nomen  
 Angelorum. Haud enim nullas hodiernæ  
 diei convenientes pias ad meditationes id  
 ipsum animum revocare, sed nostri, nos  
 erga DEum, Angelorum pariter ac no-  
 strum Creatorem atque Dominum, officii poterit admonere. Non  
 autem est, ut in originem illius inquirendo simus prolixiores, cum  
 unicuique constet, Græciæ natales illud suos debere, quin ipsum  
 Græcum nomen ἄγγελος sit, Latinâ duntaxat civitate donatum:  
 Haud secus ac alia complura, quæ cum Philosophi, tum ipsa Eccle-  
 sia Latina, sua fecerunt ac adoptarunt, à Græcis accepta vocabula.  
 Hoc tamen, pro scopo nostro, nobis notandum, deductum id esse  
 à verbo ἄγγελλειν, id quod *nunciare*, *nuncium afferre*, significat.  
 Quod enim EUSTATHIUS apud SCAPULAM *in Lex. Gr. Lat.* ab  
 ἄγω deductum ipsum vult, id nimis durum atque coactum videtur.  
 Cum primis, quoniam & synonymum Ebræum אַנְגֵלָה indicatam illam  
 derivationem comprobat. Sive enim à Radice Ebraica אָנָן, trans-  
 positâ literâ נ ac in א mutatâ, ceu, cum aliis quibusdam, JOH.  
 FÖRSTERO *in Diction. Hebr.* judicatur; sive, tam Scripturâ sacrâ,  
 quam

quam universâ linguâ Ebraica radicem ejus ignorante, vel ab Arabico verbo  $\text{لُد}$  vel abs Æthiopico  $\text{ጊድ}$ , ut LUD de DIEU *Animadvers. s. Comment. in IV. Evang. Append. ad Matth. Cap. XXVII. 2.* & JO. HEESERO *Observation Philologico-Theol. ad Voces Chald. & Hebraic. Vet. Test.* magis arridet, derivatum sit ipsum; juxta quamlibet tamen harum derivationum, in Ebraico pariter ac Græco, generatim significat missum, legatum, nuncium, ad legationem & ministerium perficiendum, destinatum, *quisque*, ceu FÖRSTERUS *l. c.* exprimit, *mandatum habet à domino suo ad annunciandum vel efficiendum aliquid*, Græca voce: *Angelum*. Conf. ED. LEIGHII *Crit. S. Vet. Test.* voce:  $\text{ἄγγελος}$ , qui addit: *Visum est interpretibus nostris* (loco Malach. III, 1., *significationem Hebraici* ( $\text{מַלְאָכִים}$ ) & Græci ( $\text{ἄγγελος}$ ) *vocabuli exprimere Anglicè, atque usurpare vocem messenger, i. e. legatus, uti vox significat, nam nomen Angeli quoad se non est nomen dignitatis, quia aque inveniuntur Angeli Diaboli* (v. g. Matth. XXV. 41. Joh. XII. 7. Apoc. XII. 9.) & *tecnrarum, ac DEI & lucis*. Eviçto sic igitur, Angeli vocabulo  $\text{ἄγγελος}$  *missum, legatum, nuncium*, denotari, siquidem derivativa primitivorum suorum retinent significationem; ulterius observandum est, vi originis ergo, non tam naturæ nomen idipsum, quam officii potius esse, sicut & AUGUSTINUS *in Psalm. CIV.* rectè monuit. Atque hinc est, quod Angeli nomen variis in Scriptura tributum invenimus, quando missorum & legatorum DEI (de his namque solum in presenti sermo nobis est,) mentio fit. DEum Patrem, æternum unigenitum Filium suum in plenitudine temporis in mundum misisse, ex *Gal. IV, 4.* constat: quapropter & ipse sapiens, non ut  $\text{ἐνοραχος}$  solum, verum etiam ut  $\text{ἀσραχος}$  spectatus, *Angeli Domini*, vel simpliciter *Angeli* nomen gerit, ut *Gen. XVI. 7. sequ. Exod. III. 2. sequ. Zach. IV. 1. 4. coll. 6. Malach. III. 1.* ubi dicitur *Angelus fœderis*, *Apoc. VII. 3. IIX. 3. 4. 5.* ac aliis utriusque Testamenti locis pluribus, circa quæ notanda BASILII M. *Lib. II. contra Eunom.* Regula: *Ubicunque Angelo adscribitur simpliciter nomen Jehovah, vel divina opera, vel divinus cultus, ibi intelligendus est Princeps Angelorum, Christus: quem idèò vocamus Angelum increatum.* Creaturis autem quando Scriptura tribuit Angelorum nomen, non invisibiles duntaxat spiritus illo insigniuntur, sed & homines eodem ornari deprehendimus, cum primis quidem, qui nomine Christi legatione funguntur, DEI velut interpretes ad

nos agentes, *1. Cor. V. 20* fideles, inquam, Ecclesiæ Ministros, ut-  
 pote Johannem Baptistam, *Mal. III. 1. coll. Matth. XI. 10. Luc. VII*  
*27.* & alios omnes, quibus idem est DEI legatorum officium, uti  
*Hag. I. 13. Malach. II. 7. Apoc. I. 20. & Cap. II. & III. passim.* Juxta  
 hæc tamen omnia diffiteri nemo poterit, utut secundum ἑτυμον An-  
 geli vocabulum officium aliquod designet, ex usu tamen loquendi,  
 cum simpliciter usurpatur, id etiam naturæ nomen esse, quando nimi-  
 rum essentiam spirituales creatam atque completam denotat, prouti  
 nunc, post quorundam lapsum, in Angelos bonos & malos distin-  
 guuntur. Veruntamen & ipsi hi, quos Angelos naturâ dicimus,  
 nihilominus etiam officio tales sunt, DEI ad homines legatione fun-  
 gentes, de quibus hic quædam commentari, quantum tempus & ne-  
 gotiorum varietas permittent, propositum nobis est, ut ex iis, que  
 nostra sint erga DEUM, pro bonis Angelorum operâ nobis exhibitis,  
 officia, vel intelligamus, vel saltem jam intelligentes recordemur.  
 Equidem, DEUM nonnunquam & malos Angelos tanquam lega-  
 tos adhibere, vix in dubium vocari posse videtur, siquidem eo-  
 rum utitur operâ, cum ad castigandos pios, Historiâ Jobi condocen-  
 te, tum ad impios affligendos ac puniendos, quorsum refertur  
*Psal. LXXIIX. 49.* quanquam, hic bonos etiam Angelos intelligi  
 posse, haud paucis visum sit, de quo verò heic disputandi locus non  
 est, sed conferri potest GEIERI *Comment. in Psalm. David. d. 1.* At  
 nobis sermo tantum est de Angelis bonis, quos DEUS, seu nuncios  
 & legatos ad homines mittit, ut suam circa eos voluntatem atque man-  
 data exequantur. Idque generatim, præ aliis claris, testatus est Pau-  
 lus, *Ebr. I. 14.* scribendo: *Nonne omnes (Angeli) sunt spiritus mini-*  
*stratorii, in ministerium emissi propter eos, qui hereditaturi sunt salutem?*  
 Ecce! non πνεύματα solum πνεύματα dicuntur, sed & eis διακονίας  
 ἀποστέλλομενα, & quidem διὰ τοῦ μέλλουτος κληρονομεῖν σάτηραν, ut  
 DEI ministri ac ad homines, cum primis fideles atque pios, legati  
 intelligantur. At quoniam propter eos, qui salutem hereditaturi  
 sunt, emitti dicuntur, vel me tacente, simul, intelligitur, eos lega-  
 tionem suâ non nisi ad bonum nostrum procurandum defungi. Et  
 sanè, si ad specialia quæque descendere liceret, admodum magnus  
 eorum, quæ, jussu divino, in nos conferunt, bonorum alle-  
 gandus numerus foret. Etenim è sacrarum literarum Codice com-  
 pertum est, non singulis solum, tanquam in communi, & ut ho-  
 mines

mines sunt, citra status aut ordinis cuiuspiam respectum, sed ipsi  
 etiam, qui dicuntur, Statibus Hierarchicis, insignem operam præ-  
 stare. Certè, quod BERNHARDUS *Serm. X. in Psalm. XCI.* scri-  
 psit: *Adsum Angeli, & adsunt tibi, non modo tecum, sed etiam prote,*  
*adsunt, ut protegant, adsunt, ut proficiat;* id tam veritati revelatæ,  
 quam propriæ cujuslibet experientiæ, dum quis vitæ suæ cursum  
 fataque penitiùs exploraverit, adeo consentaneum manifestumque  
 deprehenditur, ut in dubium nullatenus trahi queat. Sic enim in  
 ipso vitæ exordio, in infantia pueritæque præsto jam hominibus ad-  
 sunt, quemadmodum *Matth. XIX. 10. puerorum* seu parvulorum di-  
 cuntur *Angeli*, i. e. tanquam DEI legati, ad curam eorum agendam;  
 eodem planè modo, quo Paulus *Rom. XI. 13. se Gentium* appellat  
*Apostolum*, i. e. missum DEI seu legatum ad gentes nimirum Evange-  
 lium salutis illis annunciaturum, *Act. XXII. 25. XXVI. 17.* Haud  
 namque dubiam nobis hanc interpretationem nostram facere pot-  
 est opinio CHRYSOSTOMI *Homil. LX. in Matth.* per *μικροὺς* h. l.  
 non tam physicè, mole corporis, aut ætate, quam morali æstimatio-  
 ne parvos, quos scilicet mundus levioris habet conditionis & existi-  
 mationis minoris, intelligendos venire; quanquam eandem etiam  
 approbaverit, ac argumentis variis nobis persuadere fuerit annisus  
 IOH. CAMERO *Prælect. ad Matth. XIX. 10. Opp. p. 117. 118.* con-  
 cludendo: *Μικροὶ hic sunt conditione & statu vitæ illi, quos homines*  
*vulgo contemnunt, nempe vel ob paupertatem, vel ob obscuritatem gene-*  
*ris, vel ob imperitiam rerum, vel ob corporis vitia, vel si quæ sint alia,*  
*quæ in seculo infamia sunt;* eumque sequi maluerit PAUL. TOSSA-  
 NUS *Not. German.* ad vocem *Kleinen* commentatus: *Seringen,*  
*arm, unansehnlichen Christgläubigen, die Gott dem Herrn in wahr-*  
*er Demuth und Gottesfurcht dienen;* nec non HENR. HAMMON-  
 DUS *Annot. in N. T. b. I.* quoslibet intelligens *Christianos*. Licet e-  
 nim alioquin, in Scripturis *Parvos* nonnunquam in acceptione morali  
 dici, non inficiemur; heic tamen loci contextus eam significatio-  
 nem nequiquam postulat, quin potius occasio verba hæc proferen-  
 di, tam à Discipulis ejus Salvatori data, quam abs ipsomet à puero  
 in medio eorum, quem intuerentur, constituto desumpta, plus satis ar-  
 guat, eum de parvulis credentibus in genere loqui, ceu, præter alios,  
 GERHARDUS *Annot. in Evang. Matth. b. I.* præclare notavit. Non  
 solum autem in infantia nostrâ nos Angelis esse curæ, sed eos etiam



ad adultos esse DEI legatos, ut per omnem hanc vitam circa pios eorum opera & ministerium versetur, nunc bona nobis conferendo, nunc mala avertendo, nunc ex istis nos eripiendo, aut in mediis illis nos defendendo, vel consolando, compluribus ex Historiâ Patriarcharum aliorumque Sanctorum, Veteris pariter ac Novi Testamenti, collectis exemplis, dummodo Programmati huic destinatæ plagulæ spatium ea caperet, comprobari posset. Sufficiat ergo, hac vice generatim provocasse ad *Psal. XXXIV. 8. Psalm. XCI. 11. 12.* ex quibus dicta solidè satis confirmantur. Cumque jam alio tempore de angelicâ noltrûm, quoad hic vivimus, custodiâ prolixius & ex instituto disseruerimus, licebit nobis nunc eâ in materiâ brevioribus esse. Nec tamen prætereundum erit, in ipsâ morte quoque ex hac mortali vitâ decedentibus Angelos, ceu DEI legatos, adesse, suamque illis operam præstare, quemadmodum animam Lazari portasse dicuntur in sinum Abrahæ, *Luc. XV. 22.* Quæ verba metaphoricum habere sensum, ne quidem memoratu, arbitror, opus esse, cum nemo sibi temerè persuaserit, animam, posteaquam à corpore separata fuerit, nullam in se ipsâ habere semet ipsam movendi & ex uno πρὸς in aliud progrediendi vim atque facultatem: quapropter ab Angelis ad sedem beatorum deportanda sit. Quâ namque hic circumdata, carneâ corporis mole, motum ipsius vel impediente, vel retardante, morte liberata velociùs præparatam sibi in cælis hæreditatem adire potest, ad quam vel, hodegetarum instar, iter ingrediendum ei monstrare, vel, quasi honoris ergo, eam comitari hos DEI legatos, Domini sui iussu, oportet. Atque sic tandem etiam in ipso iudicio extremo legatione DEI ad homines functuri sunt, ipsomet edocente Salvatore nostro & futuro Iudice, *Se tum missurum Angelos suos cum tubæ voce magnâ, qui congregabunt electos ipsius à quatuor ventis, à terminis cælorum usque ad terminos eorum, Matth. XXIV. 31.* Plura quidem hac de materiâ ipsâ dicenda forent, variæque cognatæ ac connectæ jungi potuissent quæstiones; sed hæc omnia privatis vestris propriis meditationibus committendi mihi impositam video necessitatem. Quandoquidem autem tota Theologia nostra practica est, quam ad pietatem oportet esse directam, *Tit. I. 1.* non possum non, quia inquiram, quidnam ex eo, quod Angeli sunt DEI ad nos legati, nostri sit officii, tam erga Dominum eòs ablegantem, quam ipsos illos ejus ad nos legatos. Legatorum, quos ad invicem Summi terrarum

rarum Imperantes mittunt, quænam qualiave jura sint, ac quid iis de-  
beatur, disquirant & exponant Politici Jurisve Consulti, quorum ex  
numero allegasse fati sit ALBER, GENTILIS *Libb. III. de Legation.*  
CASP. CUNR. *Retheln Dissert. Juridico-Politica de Ambasciatori-*  
*bis, seu Legatis, & eorum in Jure Immunitatibus*, JAC. BALTHA-  
SARIS *Discurs. Polit. de Legato*; aliis silentio præteritis. Nobis ete-  
nim in præsentî curæ duntaxat sunt, quos Supremus Dominus noster,  
DEUS, ad nos emittit legatos. Primùm igitur exinde præcipuèque  
agnoscamus summam DEI nostri Philanthropiam, qui & hac Ange-  
lorum legatione ingentem suam erga nos miseros & indignos gratiam  
atque benevolentiam demonstrat. Quæ ipsa tanta, ut quisquis eam  
æstimare didicerit, etiam propterea admirabundus exclamare habeat:  
*Quid homo, quod recordaris ejus? & filius hominis, quod visitas eum?*  
*Psal. IIX. 5.* Sed respondet ad hæc, quem salutiferæ Cancellarium  
aulæ dici promeritum, nescio quis Christianus Poëta pronunciat, Pau-  
lus Apostolus, *Rom. IIX. 32.* *Non pepercit DEUS proprio Filio, sed tra-*  
*didit illum pro nobis omnibus, quomodo ergo non etiam cum ipso omnia*  
*nobis gratificabitur?* Ita est: misit DEUS nobis Filium suum Redem-  
torem *Gal. IV. 4. 5.* coll. *Ebr. II. 14. 15.* Neque hoc ei fati fuit, sed  
mittit nobis etiam Spiritum S. Paracletum s. Consolatorem, *Job. XIV.*  
*16. 26. XV. 26.* Neque hoc fati, sed insuper etiam nobis mittit An-  
gelos Custodes ac Protectores *Psal. XCI. 11. 12. Dan. VI. 22. Act. XII. 11.*  
Pro quo singulari DEI beneficio quid ipsi, tanquam Angelorum Domino,  
eos ad nos mittenti, debeamus, agitedum, CIVES O. O. HONORA-  
TISSIMI! discite mecum ab Angelis ipsis. Fas etenim est maximeque  
conveniens, ut, quibus olim in alterâ vitâ similes futuri sumus, *Matth.*  
*XXII. 30. Marc. XII. 25* in hac etiam vitâ similes nos geramus. At An-  
geli sancti hoc potissimùm agunt, præcipuumque suum norunt esse  
munus, qui DEUM celebrent, ac ejus exequantur promptissimè man-  
data, *Psal. CIII. 20. CXLIIIX. 2. Dan. VII. 10. Luc. I. 13.* Quare,  
DEUM, Angelorum Dominum, quod hosce suos Ministros ad nos  
legatos mittit, qui non meri legati sunt, sed suis etiam circa nos, in  
bonum nostrum, ministeriis funguntur, laudemus, celebremus, proque  
singulari hoc in nos beneficio gratias ipsi referamus agamusque, quam  
fieri potest, maximas, fas est utque quam maximè conveniens. Sed &  
vitam eorum imitemur promptamque DEO præstandam operam. Non  
squidem simpliciter negaturi sumus, quod DEUS impios etiam lega-  
torum

rorum suorum Angelorum tutelâ & custodiâ beet; attamen hoc quo-  
que certum nobis maneat, qui pietate n̄ puro corde sectantur, tantò  
certiores de eâdem esse posse. Quare, ne quotidie peccando gratiâ  
DEI nos indignos reddamus, in quotidianâ nos penitentiâ vivere o-  
portet, id quod sanctis illis spiritibus non beneplacito solum est, sed  
& gaudio, *Luc. XV. 7. 10.* cum ex adverso scandala vitant peccataque  
fugiant, sanctitate eorum, quâ gaudent, requirente. Quomodo igitur  
erga hos DEI ad nos legatos nos gerere conveniat, conjectu difficile  
non erit. Non enim propter Dominum solum eos ablegantem, ve-  
rum & quoniam ipsi affectu pariter ac effectu nobis profunt, commo-  
da nostra promovent, mala & nociva avertunt, non quidem superstiti-  
osus ad eos precès dirigemus, quas soli DEO debemus; sed eos magni-  
faciamus, amemus, præcipueque caveamus, ne malis actionibus & pro-  
æreticis peccatis â nobis offendantur. Utque paucis multa compre-  
hendam, BERNHARDI *Serm. XII. super Psalm. XCI.* verba, dicendi  
finem facturus, Vobis, CIVES OPTIMI! acclamo: *In omni loco, in  
omni angulo reverentiam exhibe tuo Angelo, neque illo presente facias,  
quod me (homine) presente erubesceres.* Itaque DEUS sanctorum An-  
gelorum, legatorum ad Vos suorum, ministerio Vos semper  
beet, custodiâque semper protegat, opto.

Valere!

*P. P. sub Sigillo Rectorali Academico.*

*Ipsò S. S. Angelorum Festo,*

*ANNO MDCCXXXVI.*







rarum Imperantes mittunt, quænam qualiave jura sint, ac quid iis  
beatior, disquirant & exponant Politici Jurisve Consulti, quorum  
numero allegasse satis sit ALBER, GENTILIS *Libb. III. de Lega-*  
*CASP. CUNR. Betheln Dissert. Juridico-Politica de Ambascia-*  
*bus, seu Legatis, & eorum in Jure Immunitatibus,* JAC. BAL-  
SARIS *Discurs. Polit. de Legato;* aliis silentio præteritis. Nobis  
nim in præsentis curæ duntaxat sunt, quos Supremus Dominus noster  
DEUS, ad nos emittit legatos. Primùm igitur exinde præcipue  
agnoscamus summam DEI nostri Philanthropiam, qui & hac A-  
lorum legatione ingentem suam erga nos miseros & indignos gra-  
atque benevolentiam demonstrat. Quæ ipsa tanta, ut quisquis  
æstimare didicerit, etiam propterea admirabundus exclamare ha-  
*Quid homo, quod recordaris ejus? & filius hominis, quod visitas?*  
*Psaln. IIX. 5.* Sed responderet ad hæc, quem salutiferæ Cancellaria  
aulæ dici promeritum, nescio quis Christianus Poëta pronunciat,  
Iulius Apostolus, *Rom. IIX. 32. Non pepercit DEUS proprio Filio, sed*  
*didit illum pro nobis omnibus, quomodo ergo non etiam cum ipso ad*  
*nobis gratificabitur?* Ita est: misit DEUS nobis Filium suum Re-  
torem *Gal. IV. 4. 5. coll. Ebr. II. 14. 15.* Neque hoc ei satis fuit  
mittit nobis etiam Spiritum S. Paraclerum s. Consolatorem, *Joh.*  
*16. 26. XV. 26.* Neque hoc satis, sed insuper etiam nobis mitti  
gelos Custodes ac Protectores *Psaln. XCI. v. 1. 12. Dan. VI. 22. Ar. XI.*  
Pro quo singulari DEI beneficio quid ipsi, tanquam Angelorum Domini  
eos ad nos mittenti, debeamus, agitedum, CIVES O. O. HONORATI-  
TISSIMI! discite mecum ab Angelis ipsis. Fas etenim est maxime  
conveniens, ut, quibus olim in alterâ vitâ similes futuri sumus, *Matt.*  
*XXII. 30. Marc. XII. 25.* in hac etiam vitâ similes nos geramus. An-  
geli sancti hoc potissimùm agunt, præcipuumque suum nomen  
munus, qui DEUM celebrent, ac ejus exequantur promptissimè  
data, *Psaln. CIII. 20. CXLIX. 2. Dan. VII. 10. Luc. I. 13.* Quod  
DEUM, Angelorum Dominum, quod hosce suos Ministros ad  
legatos mittit, qui non meri legati sunt, sed suis etiam circa nos  
bonum nostrum, ministeriis funguntur, laudemus, celebrenus, præ-  
singulari hoc in nos beneficio gratias ipsi referamus agamusque,  
fieri potest, maximas, fas est utque quam maximè conveniens. Si  
vitam eorum imitemur promptamque DEO præstandam operam,  
equidem simpliciter negaturi sumus, quod DEUS impios etiam

